

[Faint, mostly illegible handwritten text in a medieval script, likely Gothic or similar, covering the majority of the page. The text is arranged in several columns and includes various red initials and underlines.]

Communicata
in decem



M-s. 1297

an f.

R

2197.6

F. A. H. Maxß
1831 oho

PROPEMPTICA

SCRIPTA INTEGER

RIMO VIRO, ERVDITIONE
PIETATE AC VIRTUTE PRÆ-

STANTI D. ANDREÆ BOHEMO NORI-

bergensi, artium liberalium Magi-

stro, reduci in Patriam.



Distichon quo Annus, Mensis & Dies dis-
cessus eiusdem continetur:

EXorlens LVX SepteMbrls bls qVInta reo
fVLget,

LeVCoreI CeLebres LInqVls Vt ALbls
aqVas.

VITEBERGÆ

EXCVDEBAT IACOBVS

Lucius Transylvanus.

1563.

M. ANDREAS BOHEMVS
LOQVITVR:

Dum vocor in patriam, DEVS optime dirige
Auspicio possim sospes vt ire tuo (gressus
Aura fauet, coelique abitum clementia suadet.
Tu modò placato numine dexter ades!
Quæque fuit reducem seruandi cura Thobiam,
Non minor ANDREÆ sit tibi cura tui.



PROPEMPTICON

AVTORE

SALOMONE ALBERTO
NORIBERGENSESI.

VT solet admoto solui noua cera calore,
 Vtq̄ liquent tactæ vere tepente niues:
Sic mea tabescunt serie contrita malorum
 Pectora, nec finem quo releuentur habent.
Viribus & proprijs nisi mens instructa fuisset,
 Orba sua pridem succubuisse ope.
Sæpius ic̄ta labat patientia: verbere duro
 Acrius instanti sæpe repugnat ouis.
Et sua detrectat taurus iuga. Cernis vt unum
 Post binas feriat iam noua plaga locum.
Vnus & alter abit, sed causa valentior illa,
 Tristitiæ segetem quæ mihi præbet, adest.
Te priuor, cui par studium, cui mutua mecum
 Mentis erat pietas, nec dubitata fides.
Fallor? an es primos inter mihi census amicos?
 Penè puer puero nexus amore fui.
Quæ nisi me moueant, adamante reuincta fatebor
 Corda, uel hoc si quid durius esse potest.
Est grauior multò præsens ærumna priore:
 Vt sit enim, longa creuit adaucta die.

A ij

Longa

Longa dies luctus adimit, sedatq; dolores,
Longa dies morbos, qui valuerè, leuat.
Cuncta sed inuersa praeopostera lege feruntur,
Acceduntq; malis deteriora meis.
Heu mihi quàm dispar nomen fortuna dedisti,
Nomine detractò nil mihi pacis adest.
Cura, dolor subeunt animum pro pace, quiesq;
Si qua venit nobis irrequieta uenit.
Nomina danda suis sunt conuenientia rebus:
Ergo quid hic similis desinis esse tui?
Par tibi quæ folio est leuitas, tu multa per orbem
Arbitrio uarias luxuriata tuo.
In morem uenit ipse dolor, uiresq; morando
Inuenit: heu misero nil mihi præstat opem
Excepto, quòd, quæ fuit intermissa uoluptas,
A te restitui plenior illa potest.
Qua fieri ratione queat, si fortè requiris:
Verba sub alternas mitte legenda uices.
Quod te per studij communia fœdera, teq;
Oro per intonsi numina nota Dei,
Te rogo per nostrum, si non tibi uile uidetur,
Indeclinatæ nomen amicitiae,
Quod licet (ut semper propioribus esse putemur
Pectoribus) studij pignora mitte tui.
Tunc ero quod fueram, nec erunt immitia nobis
Fata: Solet pulsa nube redire dies.
Tunc curæ fugient, & mens, quibus antè carebat,
Tunc feret ex scriptis uberiora tuis.

Hæc

Hæc est vna salus nobis tutumq; leuamen:
Hæc portum nostræ præstat arena rati.
Ergo laborantem ne desere. Conuenit vndis,
Qui nauem primòmersit, vt ille leuet.
Exemploq; meo (de te nam cætera sumes)
Vtere, sed melius me prior ipse dabis.
Sæpe loquar tecum, mecum quoq; sæpe loquæris:
Te mihi non pigeat scribere, meq; tibi.
Quod vicibus caret alternis id amabile non est:
Duret vt, ex æquo noster alatur amor.
Ipse quidem certè nostri monumenta laboris
Sæpe dabo manibus grata futura tuis.
Noticiam seruabo tui, dum vita manebit:
Dum calcata suos imbuet vna lacus.
Nec prius ANDREÆ venient obliuia, quàm lux
Brumali breuior solstitialis erit.
Nil aliud facias, constes in amore, tuusq;
Impetus extremos duret adusq; rogos.
Idq; facis per te: remis tamen vtar & aura:
Currit ab impulsu remigis acta ratis.
Quadrupedi, qui tardus erat, calcaria subde,
Cancellis primos exeret inde pedes,
Iamq; tenere aures & passu stare tenaci
Nescius, amoto protinus axe ruet.
Quid valeant stimuli, poterunt exempla docere:
Quod latet, exemplisæpe docente patet.
Vt nondum sedata leui se suscitatur aura
Flamma, necaturus quam cinis altus erat:

Si

*Si tollas auram, cinerem nec sulphure tangas,
Deficit, & lumen quod fuit ante perit:
Sic, licet acer erit, venturo tempore languet,
Ni crebrò stimulis eliciatur, amor:
Quin etiam tenues euandus exit in auras,
Ut maneat præter nomen inane nihil.
Crescit amor monitu, quantumq; accedit ad annos,
Fit maior: spacio pascitur ille suo.
Hic tenor, & primis hæc fœdera cœpta sub annis,
Iam propè per longas conualuere moras.
Nam mora dat vires, tempusq; alimēta ministrat:
Sic coquitur lenta nobilis vna mora.
Ergo velut spacio quercus durata resistit
Ventorum impetui viribus vsa suis:
Sic victurus amor tempus, momentaq; rerum,
Morte vetustatem nil prohibente feret.
Corpora debentur gelidis morientia tumbis,
Et redit in cinerem quod fuit ante cinis:
Prisca fides cuiq; tenax, expersq; sepulcri,
Par cum mansuro tempore robur habet.
Perstat, & exangues calor hic dum deserit artus,
Mortis ab extrema conditione vacat.
Occidit Æneas, & quo fuit vsus, Achates:
Sed tamen amborum viuit honesta fides.
Scripta fidem Pyladis produnt & Orestis amorem:
Et cum Pyrithoo Thesea scripta ferunt:
Corpora si quæras: ætas aboleuit & ignis:
Nomen inextincta laude tenebit amor.*

Vine

Viue diu memor ipse tui, ceu viuere fas est,
Pectore sitq; mei cura recepta tuo.
Sit tibi quæ cessit fors æno tanta futuro,
Quantus in egregio pectore candor inest.
Hæc vtinam nostræ valeant præfagia mentis,
Fataq; sint vitæ non onerosa tuæ.

ALIVD IN EIVS=
DEM DISCESSVM SCRIPTVM
A MICHAELE RAVEN-
pusch Heideccensi.

PHæbus ab Astræe digressus virginis arcu,
Per trutinæ, volucres, sidera, ducit equos.
Quæ spacio currus Phæbeos noctibus æquat,
Et pulchrum Autumni tempus adesse facit.
Conduntur varij nunc in cellaria fructus,
Pomaq; & in teneris rosida mella fauis.
Castaneæ molles, & dulcia pruna leguntur:
Iam fœcunda Ceres horrea cuncta replet.
Iam gravidos onerat vindemia leta racemos,
Turgida nectareo subrubet vva mero.
Purpureo redimit tua tempora flore Colonus,
Rustica vitisator carmina Bacche canens,
Dum calcat per one graui fragrantia vna,
Dumq; cauos subeunt feruida musta lacus.
Quàm placidum fructum præbet pacalis oliua:
Quid referam ficus? quid pyra, mora, nuces?

A iij

Post

Post longos agitant conuiuia lauta labores
Agricolæ, & fertis tempora vinc̄ta gerunt.
Pars lepidum rauca modulantur carmen auena,
Et quatiunt palmis tergora tensa boum.
Pars alia exercent reuolutas arte choreas,
Stentorea & iugi iubila ob ore sonant.
Singula quid memorem? Ducit sua queng̃ voluptas,
Tristitiæq̃ locus nullus ubiq̃ patet.
Sed mea dissimilis ratio est: ego tempore leto
Tristibus heu lacrymis ora genasq̃ rigo.
Dum reliqui captant plausus, mea pectora planctus
Conficit, & subitis mens gemit ægra malis.
Non semper sudum est cœlum, non semper Apollo
Ridet: habent varias noxq̃ diesq̃ vices.
Vnica tu nostri causa es manifesta doloris
ANDREA, ô animæ portio magna meæ.
Inuida discedit te discedente voluptas,
Aufugit & melior, qui fuit antè, status.
Quô ruis? an dulces te non remorantur amici,
Quos tibi constanti fœdere iunxit amor?
Quô properas? quô tendis iter dilectæ Magister?
Sic ne tuum fratrem deseruisse potes?
Cuius amor tibi notus erat, pietasq̃, fidesq̃:
Ergo consilij corrige uota tui.
Quæ tibi causa uiæ est? quis te iubet ire? quis autor,
Hinc procul ex nostro te remeare loco?
Deniq̃, tam multos quid post tua terga relinquis
Artibus insignes & pietate Viros?

An

An non solius te vox Doctoris EBERI
Detinet: hic gressus non inhibere potest:
Attoniti cuius pendemus ab ore loquentis,
Dum Christi aethereo dogmate pascit oves.
Bis quater accipiunt nudatas horrea messes,
Et teritur nudo bis quater uua pede,
Ex quo non fucata tibi me copula iunxit,
Pegnesis riguo quâ fluit unda uado.
Ab quoties, animum si noxia cura premebat,
Auxilio uocis fugit abacta tuæ.
Sæpe dies sermone fuit dictisq; uenustis
Visa breuis, licet hæc solstitialis erat.
Cui poteram tutò quondam secreta referre,
E multis alijs tu super unus eras.
Nunc iter adsuetum multò sol tardius anni
Conficiet, spacys crescet & hora suis:
Iam modò continuo uitiantur pectora luctu,
Seu det Apollo suis seu iuga demat equis,
Dum struis hinc abitum, dulci dum priuor amico,
Quo mihi non tota charior urbe fuit.
An qui uixerunt socialia tecta colentes,
Vna autumnali distrahet hora die:
Sed te fata uocant, te sancti cura senatus
Expetit, ô Clarij gloria magna chori,
Artibus informes ut ibi Præceptor alumnos,
Patria munifica quos fouet alma manu.
Non laus exigua est, patrios decorare penates:
Vberior nulla queritur arte fauor.

Ergo,

Ergo, quod superest, tantos tibi grator honores,
Gratantur mecum Pieridesq; nouem.
Dignetur cunctis conatibus æquus adesse,
Auxiliumq; ferat, quem petis ore, **DEVS.**
Ille tibi ualidas suscepto in munere uires
Suggerat, & sacro flamine corda regat.
Prouehat ille tuos nullo impediante labores,
Et tua fortunet quod facit omne manus.
Hoc, sine nullarum capias exordia rerum:
Sic tibi felici tramite cuncta cadent.
Tu modò ne cedas oneri, sed nitere contra:
Præsenti nisus ille iuuabit ope.
Nec ualidos flecti neruos patiare, ferendo
Par oneri robur sufficiente **DEO.**
Dum loquor, ecce Deus (nec enim pia uota repellit)
Annuit, & pondus iussit habere preces.
Semper inoblita Michaelem mente reponas,
Prisca nec extincto corruat igne fides.
Carmina nostra etiam tantum testantur amorem,
Esse potest inter quantus in orbe duos.
Cui minus est lucro (quod erat uenerabile quondam)
Nomen amicitiae, sub pedibusq; iacet,
Illius obriguit glaciali frigore corpus,
Et duri chalybis semina pectus habet,
Vbera quæ molli quondam ducenda palato
Præbuit huic nutrix, seu a leæna fuit.
Leucoris ergo prius non Albis habebit arenas,
Piscis & in syluis pabula carpet edax,
Æquo

*Æquoreas citius uoluentur plaustra per undas,
Puppis & incultos unca secabit agros,
Lumine Phœbæo prius est cariturus hic orbis,
Et rutilum linquent sidera clara polum,
Ver tepidum glaciem dabit urentesq; pruinas,
Bruma rigens florum gramina picta feret,
Luna subire uolet fraternos antè labores,
Solis & obscura nocte uehantur equi,
Littorea citius numerabis in ilice glandes,
Quàm possim curam deposuisse tui.
Sic equidem quocunq; ferar sub cardine mundi,
Ibit in æternas impetus iste moras.
Et nos disiungant licet interualla locorum,
Attamen est socio corde propinquus amor.
Inunc, propositum felici sidere cursum
Perfice, & aduersi nil remoretur iter.
Te DEVS & Musæ comitentur, & inter eundem
Mollia uirgineo pollice plectra sonent.
Nostra fides imis maneat defixa medullis,
Nec cadat, ut tepido gramina sole cadunt.
Sed uireat seros ut uictrix Laurus in annos,
Quam fouet in pingui Thessala terra sinu.
Sic ualeas: sint cuncta tuis æquissima rebus:
Stet tua sic uni uita cadatq; DEO.*

FINIS.

Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is arranged in several paragraphs and appears to be in a historical or legal style.



153028

AB: 153028

ULB Halle

3

003 486 044



86



[Faint, mostly illegible handwritten text in a medieval script, possibly Gothic or Carolingian minuscule. The text is arranged in columns and includes several large, decorated initials in red ink. Some lines are underlined with red ink.]



PROPEMPTICA

SCRIPTA INTEGER

RIMO VIRO, ERVDITONE
PIETATE AC VIRTUTE PRÆ-

STANTI D. ANDREÆ BOHEMO NORI
bergensi, artium liberalium Magi-
stro, reduci in Patriam.



Distichon quo Annus, Mensis & Dies dis-
cessus eiusdem continetur:

EXorlens LVX SepteMbrIs bIs qVInta reo
fVLget,
LeVCoreI CeLebres LInqVIs Vt ALbIs
aqVas.

VITEBERGÆ

EXCVDEBAT IACOBVS
Lucius Transylvanus.

1563.

